



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

De Fvndatione Collegii Monachiensis. Eivsdem Societatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

Rechten zum crefftigisten erdacht vnd gestellt werden/ auch seyn soll/ khain vnd mag. Also vnd der gestalt/ das weder wir vnser Erben vnd Nachkommen/ noch yemandt anderer von vnser wegen/ in khain weiß/ noch weeg darzue oder daran khain spruch/ vorderung/ Recht vnd Gerechtigkeit zu ewigen zeiten haben/ oder gewinnen sollen/ noch wellen/ weder mit: noch ohne recht Gaislichem vnd Weltlichem/ sonder die mer gemelte Patres der Societet IESV vnd ihre Nachkommen/ sollen/ khönden vnd mögen angeregten Platz/ Grundt vnd Poden sambt den darauf stecenden gepeuen/ Rechten vnd Gerechtigkeiten/ wie auch das jährliche Einkommen an Gelt/ Wax/ Waisen/ vnd Holz oben specificierter massen yedes Jars einnehmen/ nutzen/ nütessen vnd gebrauchen/ damit thuen vnd handeln/ ohne yedermenglichs hinderung/ eintrag/ oder irrung/ nach gewöhnlichen gebrauch vnd Inhalt ihres Instituts vnd habenden sonderbaren Priuilegien wegen ihres hieoben specificirten Residens vnd Wohnung für alle grauamina vnd beschweruñß/ als Steur/ Anlagen/ Scharwerchen/ Beherbergung freier Leuth/ oder andere dergleichen Purden vnd Oblagen/ so an yeso seyn/ oder in künfftig erdacht/ aufgebracht/ fürgenommen/ vnd begert möchten werden/ deren allen vnd yeden wir sie hiemit/ vnd in Crafft diß Briefs für vns/ all vnser Erben/ vnd Nachkommen genedigist befreyen/ vnd entledigen/ damit sie also desto freyer ganz vnuerhinderlich ihrer Vocation vnd Verueß nach der Seelen Hapt vnd Wolfarth auß- vnd abwarten khönnen vnd mögen. Wir wellen/ schaffen/ vnd beuelhen demnach hiemit ernstlich allen vnd yeden vnsern Pflegern/ Castnern/ Wautnern/ Verwaltern/ vnd andern vnsern beambten yestigen vnd khünfftigen/ zu Durckhausen/ Alten vnd neuen Dettingen/ vnd andern vmbtügen ortern/ daß ihr sambt vnd sonders gedachte Patres vnd deren Nachkommen/ von der Societet wegen in khain weiß noch weeg beschweret/ oder solches andern zethuen gestattet/ sonder bey disem vnserm genedigisten willen vnd auffgerichtem Brief in allen seinen Puncten vnd Articulu wider meniglichen schutzen/ schirmen/ vnd handthaben/ das jährliche Einkommen mehrerzelter massen zu gebührender zeit volgen lassen/ geben vnd bezahlen/ daran thuet ihr vnsern endlichen zuuerlässigen willen vnd haissen. Zu Brckhunde vnd mehrer bekräftigung oberzehlten alles/ haben wir disen Brief mit eygenen Handen vnderscriben/ vnd mit vnserm Secret Insignil verfertigen lassen. Geschehen in vnser Hauptstatt München/ Nach Christi vnser lieben Herrn vnd Seeligmachers allerheiligsten Geburth/ den vier vnd zwainzigsten Monatstag Maij/ im sechzehnhundert vnd sechsten Jare.

Maximilian.

DE FVNDATIONE COLLEGII MONACHIENSIS.
EIVSDEM SOCIETATIS.

ANNVS erat Domini 1559. cū illustrissimus Bauarię Princeps Albertus huic Collegio initium ac originem daret, cuius foundationis causam præbuit partim bonus odor & fructus, quem de Collegio Ingolstadiano non sine celebri fama boni perceperant, partim negotium religionis in Bauaria tū temporis vtcunque turbatum, de quo Nobiles quidam grauitè disceptabant nouandæ religionis amantes, partim status Reipub. Monachiensis, quæ quidem in fide & moribus non optimè constituta videbatur. Locus Collegij delectus est à Principe in Monasterio Augustinianorum, qui, cū pauci adessent, facile passuri videbantur, vt pars horti ipsorum in vsu noui huius Collegij conuerteretur. illicque & domus & schola extrueretur. Quanquam postea, cū frequens discipulorum numerus nimium veterem Scholam impleret, longè amplior & commodior Schola successit, eaque ab ipsis fundamentis Opt. Mecæ-

natis

natis ac Principis liberalitate, prope Collegium exa edificata, multisque classibus eleganter extructa est. Cæterum licet Monachienfes erga Collegium malè affecti principiò viderentur, nec deessent, qui probra ingentia objicerent Patribus, tamen, quoniam figmentorum & mendaciorum vanitas liquidò detecta, est, ipsique Patres magis ac magis indies suam integritatem, patientiam, charitatem ac virtutem declararunt, paulatim effectum est, vt cogniti eorum conatus, tum in Ecclesia, tum in Schola complures è ciuibus approbatores & fautores haberent. Accessit, quòd experientia teste didicerint Monachienfes, horum Patrum operam sibi prodesse plurimum, præsertim in spiritualibus exhortationibus, in religiosa conuersatione, in frequenti ægrotantium visitatione, in salutari & crebra Sacramentorum dispensatione, vt alia id genus pia officia, quæ huius Societatis propria sunt, præmittantur. Et certè sunt, qui palam affirmant, post erectum hoc Collegium, nouam veluti faciem huius vrbs apparere, & omnia ferè in melius commutata videri, populum denique & iuuentutem ad honestatem, modestiam, religionem, longè quàm antea paratiorem & promptiorem esse.

ADDITIONES.

In Nomine Sacrosanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Dei Patris, &

Filiij, & Spiritus Sancti, Amen.

NOs Dei gratia *Guilielmus* Comes Palatinus Rheni, vtriusque Bauariæ Dux, literis his publicis nostro & Successorum nostrorum nomine ad omnem posteritatem datis, & perpetuam auctoritatem habituris declaramus, significamus, testamur.

Cum *Bauaria* Prouinciâ & charissima patria nostra, ipsaque adeo Serenissima Bauariæ Principum familia, innumera cœlesti benignitate & benedictione (quæ vtinam perpetua sit) acceperit beneficia, aliis etiam nationibus prope ac longius sitis, tam conspicua, vt non dubitent quasi beatam præ multis alijs regionibus prædicare Bauariam: Tum illud nobis (quæ par est sollicitudine & gratitudine) beneficentiam Dei considerantibus præcipuum videretur, quod in vna sancta Catholica religione, circumfremetibus vndique hæresibus, non solum persisteret diuino munere hætenus, sed in ea etiam Catholica fide tantum profecerit, vt prisca & ardentissima pietatis præclarissima exempla de se & ipsa dederit & fama longè lateque sparserit. Atque eadem mens fuit Serenissimorum Parentum nostrorum, Aui præcipuè atque Patris, qui cum sub ipsa nascentium hæresum perniciosissima atque furiosissima inuita Rempub. gererent, omnem cogitationem, consilia, potentiam eò conuerterunt, vt à *Bauaria* hæresin & aperte sæuientem & miris artibus ac calliditate serpentem arcerent, ijs maximè medijs, quæ cæteris efficaciora & ab ipso Deo tanquam antidota venenatæ impietatis excitata fuerunt. Inter quæ, & Sedis Apostolicæ iudicio, & bonorum omnium consensu, fuit institutum, Societatis *Iesu*, quæ tunc primùm bono Religionis Catholicæ nata esset, & exiguo numero Patres illi certatim toto orbe Catholico expeterentur, non quieuit Serenissimus Auus noster *Guilielmus*, quoad aliqui ex paucis illis & primis Societatis Patribus in *Bauariam* mitterentur, Quorum opera primùm *Ingolstadij* in illa celebri Academia nostra, & aduersus nouas hæreses propugnaculo, vsus est, optato cum successu atq; fructu, nisi quod plures eiusmodi Patres desiderarentur. Quos cum crescente mirabiliter ipsa Societate, Serenissimus parens noster *Albertus* magno gaudio, & vt existimabat, magno emolumento prouinciæ suæ nactus esset, non solum *Ingolstadij*,

stadij,

stadij, verum etiam *Monachij* habitare, & pueris in fide & literis erudiendis, concionibus habendis, Sacramentis administrandis, dubiis in fide confirmandis, errantibus reducendis, ipsisque Catholicis ad maiorem, pietatem inflammandis, juxta institutum suum vacare voluit: eoque nomine cum euentum, voto respondere animaduerneret, utrobique de Collegiis liberaliter & magnificè fundandis atque dotandis cogitauit, quemadmodum ex ipsius Serenissimi Parentis nostri foundationis literis, quæ adhuc supersunt, manifestè constat.

Neque verò satis habuit Serenissimus Pater noster illa Collegia constituere & munificè dotare, ac fundare, sed etiam cum præconciperet animo quanta in posterum Societas in Bauariam suo laudabili instituto bona conferre posset, nos hæredes suos in Testamento sanctissimis verbis & grauissimis obtestationibus paternè hortatus est, atque etiam obligauit, ad eadem collegia atque plura etiam si fieri possit, erigenda, augenda, locupletanda, atque ita demum constituenda, quemadmodum postulatura videretur necessitas Bauariæ, publicumque bonum, merita Societatis, atque etiam præcipuè noster peculiaris & quasi hæreditarius in Societatem & Catholicam Religionem affectus.

Nos igitur Dei gratia *Gulielmus*, Comes Palatinus Rheni, vtriusque *Bauaria* Dux, exemplo Serenissimorum Maiorum nostrorum, & in primis vltima sanctissimaque voluntate & obtestatione Serenissimi Patris nostri *Alberti*, singulari quoque erga Societatis institutum propensione permoti, oculosque animumque in labores ac ministeria Patrum diligenter intendimus; Ac cum manifestè videremus, fructum operæ Societatis hic *Monachij* propter celebritatem aulæ nostræ, & propter frequentiam huius vrbs in paucos redundare, quod & pauciores Patres hic essent, quam qui tantæ multitudini erudiendæ & Spiritualibus auxiliis iuuandæ sufficerent, quodque neque templum ministeriis Societatis exercendis satis aptum aut amplum haberent; de instituendo atque erigendo nouo Collegio, Templo ac Scholis cogitauimus, & cum Dei benignitate iam penè perfecimus, majore quidem quam Societas pro sua modestia voluisset magnificentia, sed digna tamen splendore familiæ nostræ, præsertim cum velimus hoc extare monumentum perpetuum tum Serenissimorum Parentum nostrorum (quippe ex quorum jussu ac voluntate hæc cepimus) in conseruanda religione Catholica singularis & ardentissimi studij, tum etiam nostri in eadem conseruanda, tuenda, amplificanda, conatus ac desiderij: atque demum exemplum, & incitamentum posteris nostris, nostram hanc & Maiorum nostrorum pietatem, & in Societatem Iesu benignitatem imitandi, atque etiam si fieri potest augendi.

Primum igitur ad hunc finem & foundationem nostram, locum ac stationem delegimus areasque, fundos, domos, & quocunque nomine cenferi possunt habitationes & possessiones, ab earum Dominis ac legitimis possessoribus, cum consensu omnium eorum quorum interfuit, nempe Ordinarij, quoad Ecclesiasticas domos, & quoad cæteras, etiam Consulum ac Senatus huius præcipuæ Ciuitatis nostræ, legitimè coëmimus, & nostro pleno ac proprio dominio subiecimus. Vniuersæ autem huius areæ ad Collegij Societatis *Iesu* fundationem coëmpta & destinata termini fuerunt, Primus, Domus angularis *Schöfflariensis* Monasterij, quæ ab altera parte publicam illam plateam quam vocant *die Newhauser Gassen*/ ab altera plateolam *Augustinianorum*, ut olim vel ut hodie, *das Jesuiter Gäßlein* respiciebat, vsque ad vltimam eiusdem plateolæ angularem domum, quæ item *Schöfflariensis* Monasterij fuit: & hic secundus terminus est, quem nunc turris templi nostri occupat. Tertiò si à supradicta prima *Schöfflariensis* domo versus plateam publicam *Die Newhauser Gassen*/ recenseas omnem inter-

intermedium fundum, qui & in latiore platee parte, & in angustiore interjacet, vsque ad aliam nouam domum angularem eiusdem olim *Schöfflariensis* Monasterij, à qua incipit plateola, quam vulgo vocant, *das Ständel Gäßel*/ tertius terminus est, hæc tertia *Schöfflariensis* olim domus, eiusdemq; plateolæ extremus angulus à parte *Schöfflariensis* domus, definens in plateam quam vulgo *Angustam* vocant, *die Eng Gassen*/ quartum terminum constituit, ita vt quicquid intra quatuor illas supradictas plateas includitur, id totum ad hunc fundum pertineat.

Omniem igitur hanc aream seu fundum, hortos seu domos & possessiones, iam maxima ex parte ædificiis, templo, scholis, Collegio, pro Societate *Iesu*, à nobis occupatas, aut in posterum pro arbitrio nostro aut ipsius etiam Societatis commoditate accommodandas, Collegio Societatis *Iesu* certa & deliberata voluntate vi harum literarum plenissimo jure donamus, & simul etiã tam areas & fundos, quam ædificia, vel à nobis extructa, vel in posterum à Societate, intra jam memoratos terminos extruenda, nostro atque hæredum successorumq; nostrorum nomine, in perpetuũ, auctoritate nostra suprema, liberamus atque eximimus, ab omnib. & singulis (quibus aut olim subiecta erant, aut quouis colore & prætextu in posterum aliquando grauari possent) obligationibus, seruitutibus, perpetuis censibus, præstãdis vecturis & operibus gratuitis, & quibuscunque omnino grauaminibus communibus, atque etiam priuilegiatis, vt vocant exactiõibus & steuris (quamuis fortè ab aliis religiosis exigentur) etiam quorumcunq; bellorum vel hostilium incursionum nomine, siue extra, siue intra nostras ditiones imponendis. Quam exemptionẽ & inuitatem Societati nõ solum dũ viuimus, Ducalibus nostris verbis elementer promittimus, sed etiã ad eandẽ posteros ac successores nostros obligamus. Præterea non solũ pro maiestate Sanctissimi Templi & magnificæ structuræ totius; sed maximè etiam ad honorẽ & dignitatẽ cultus diuini à rumoribus & prophanis clamoribus tuẽdum, constituimus, vt platea quæ nunc *Jesuitæ Gäßlein*/ dicitur (prout iam super ea re cum Priore & Cõuentu debita illis cõmpensatione facta legitimè conuenimus & conueniemus) ita dilatetur, vt ab extimo muro & angulo templi ipsorum secundum rectam lineam vsq; ad plateam *Angustam* ducatur murus, vltra ac supra quem neque *Augustinianis* neque vlli alteri vnquam vlla ædificia vel habitationes ponere aut struere liceat, jure ædificandi nobis tantum pro bono Patrum & Templi referuato.

Similiter eadem de causa, omni quã possumus potestate Senatui *Monachiensi* (quamuis modo sponte etiam in nostri gratiam & Domini in primis honorem, atque ex beneuolentia in Societatem, ad id parato) in futurum tamen præcipimus, ne vel in jam dicta platea, vel in illa amplissima area *der Newhauser Gassen* (in qua templum *S. Nicolai* olim situm fuit, nunc autem in memoriam eiusdem statua nobis collocata est) vlllos mercatus, nundinationes, aut publicos Conuentus instituat, aut institui patiatur, ne tali vsu, aut templi sanctitas profanetur; aut Scholarum ac docentũ, & Collegij necessaria ac decens quies interturbetur. Volumus enim omninò, ac cum magna cura prouidere cupimus, ne Patres Societatis vel extra vel intra muros templi, Scholarum aut Collegij sui, in suo religioso instituto, functionibus, ac disciplina quoquo modo impediatur. Qua de re quoque, & posteris nostris, ac hæredibus, & tenatui vrbs nostræ *Monachiensis*, serio prohibemus, ne permittant, vt quisquam extraneus, vel Ecclesiasticus, vel secularis, cuiuscunque ordinis ac dignitatis, in templo Societatis aut eius sacellis, vel circa rationem cultus diuini, quicquam attentet, aut sibi sumat contra aut sine voluntate ac libero consensu Patrũ Societatis. Multominus, ne præter superiores Societatis, quisquam quicquam sibi

Iuris

Iuris arroget, in Scholas Societatis jam ante à nobis Ducalibus nostris Priuilegijs donatas. Quin etiam cum hospitalitatis species magna sæpe religiosis Congregationibus afferat, ne quid grauius dicamus, incommoda, & cum Societatis præcipuè muneribus ac occupationibus consistere non possit, ne à laboribus suis & ministerijs Patres impediatur, seriò cautum volumus, ne vlllo titulo aut prætextu (ne laxitatis quidem aut amplitudinis Collegij) vel posterius nostri, vel Senatus *Monachiensis*, vel quisquam alius quocunque casu, etiam Conuentus Principum ac Comitiorum, vlllos hospites siue seculares, siue Ecclesiasticos, cuiuscunque dignitatis, status aut conditionis, Patribus obtrudant; Patresq; ipsos seriò monemus ne obtrusos recipiant, sed instituto suo atque vt solent, saluti animarum vacent.

Præterea volumus, statuimus, decernimus & mandamus, vt hæc donatio atque exemptio, hæc immunitates ac priuilegia omnia & singula harum literarum serie comprehensa non minoris autoritatis sint, quam solemne ac legitimum testamentum, codicillus, vel quæcunque alia in iure fundata & legitima vltima voluntas: Nostrosq; etiam hæredes ac successores simul etiam, Consules ac Senatum huius Ciuitatis nostræ obligatos volumus, vt hanc nostram donationem, liberationem, exemptionem, ac immunitates his Societatis *Iesu* fundis & ædificijs præsentibus aut futuris concessas, tueantur ac defendant, neque à quoquam seu ciue, seu peregrino, Ecclesiastico aut seculari impugnari vlllo modo patiantur, præsertim cum nos adhuc viuentes omnibus his quorum aliquid interest, aut interfuit, plenè satisfieri curauerimus, & curaturi simus.

Porro quod ad ipsam foundationem huius *Monachiensis* Collegij Societatis *Iesu* attinet, cum eam ad Dei imprimis gloriam & Catholicæ Religionis amplificationem atque augmentum, ad vtilitatem & salutem totius *Bauariæ*, & imprimis huius primarię vrbis nostræ, secundum mentem ac voluntatem exemplumq; maiorum nostrorum, vt supra memoratum est, potissimum instituerimus, diligenti ac matura deliberatione elaborauimus, vt in hoc negotio perpetuati maximè tam laudabilis operis consuleremus. Et probè Societatis instituto considerato, in eam venimus sententiam, tantò hanc foundationem nostram magis stabilem ac æternam fore, quantò magis ipsius Societatis instituto (iudicio sapientum perfecto & absoluto) eiusq; optimis, sanctissimisq; constitutionibus conformaretur.

Quocirca in hac singulari fundatione nostra id solum spectamus, optamus ac speramus, atque à Societate vnice petimus, vt pro incremento fundationis nostrę atque dotationis huius Collegij, quam infra explicabimus, & numerus operariorum, & multiplex eorum labor, atque quod de Dei bonitate sperandum, consequenter quoque ipse fructus, magis etiam quam hæctenus augetur, vtq; tantò plures ex Societate sint, qui iuxta instituti sui rationem & leges, spontè atque liberè, gratisq; sine vlla remuneratione aut mercede in templis, scholis, nosocomijs, carceribus, domi forisq; publicè aut priuatim, inter catholicos & hæreticos, apud summos & infimos, cuiuscunque ætatis & conditionis homines, saluti & vtilitati animarum inuigilent, quemadmodum jam inde à tenui exordio huius Collegij hucusq; diligenter fecerunt.

Nam secundum necessitatem semper crescentis messis animarum, & secundum dignitatem ac frequentiam huius vrbis, à Patribus Societatis in templo suo & aula nostra piæ ac doctæ conciones sunt habitæ, variis ac multis in locis huius vrbis & foris in pagis rudes ac pueri præsertim in doctrina Christiana instituti, hæretici plurimi Ecclesiæ conciliati, Catholici confirmati, omnis generis

ris spiritualia auxilia, sanis & morbidis, liberis & captiuis, ætate ac conditione, magnis paruisq; præstita, conscientia casibus responsum, in Missionibus quoque quantum fieri potuit extra hanc urbem elaboratum, omnis generis ordinum, sexus ac nationum, confessiones exceptæ, dederuntque operam superiores Societatis, ut aptos atque idoneos & numero quoque sufficientes, ut res hætenus tulit, operarios ad Domini in primis gloriam, tum etiam in Serenissimorum Parentum nostrorum & nostram quoque gratiam, atque etiam ut experti sumus, consolationem & utilitatem, animarumque præcipuè salutem huc destinent. Præterea celeberrimo huius urbis nostræ Gymnasio magno & manifesto totius prouinciæ bono, Societas Præceptores prouidit, qui teneræ ætati cum ipsis literarum rudimentis pietatem ac virtutem instillant, atque per suas Classes eo usque informarent, quoad absolutis hic Rethoricæ & Dialecticæ studiis, cum laude ad superiores facultates in alias Academiis se conferre possent: vel etiam qui sacris initiari uellent, hic auditis conscientia casibus, quantum satis essent, ad sacerdotij summum gradum instruerentur, ut cum gaudio experti simus hoc Gymnasium non solum Academiarum & eruditorum viro- rum, sed etiam Sacerdotum honestorum ac doctorum seminarium hætenus fuisse.

Quæ omnia idcirco commemoramus, ut testatum faciamus, Nos labores venerandæ Societatis agnouisse hætenus, & suo merito æstimare, etsi verò scimus Societati grauius interdictum esse, ne pro præstandis suis Ministeriis spiritualibus, aliisque quibusuis piis operibus seu officiis, sicut neque pro Theologicis ullis atque casuum conscientia prælectionibus, ullam temporalem obligationem vel compensationem, ac ne eleemosynæ quidem nomine, atque adeò ne à fundatoribus quidem suis petere vel admittere possit, sed hæc omnia pro viribus, atque ex propria conscientia obire teneatur, solius, charitatis sui- que Instituti lege & obligatione, quæ maxima est, & quidem gratis, atque ad solius Dei honorem & obsequium, salutemque animarum, denique grato erga fundatores animo, sicut ubique gentium, apud quas residet, hætenus experientia & abundanti fructu teste, magna fide, & constanti conatu re ipsa præstitit; Nihilominus hac nostra noua fundatione hoc spectamus Nos, hocque à Veneranda Societate expectamus, ut in omnibus memoratis suis functionibus, secundum leges, & obligationes proprias, (quibus alias nostras superaddere, minime intendimus, neque in vniuersa hac nostra fundatione, omnibusque eius clausulis quicquam præiudicatum esse volumus) sanctum institutum suum saluum & inuiolatum teneat & prosequatur: simul tamen plurimum desideramus, ut omni cura, quantum potest, prouidere studeat, ut pro celebritate huius urbis, ipsiusque templi Societatis amplitudine non desint idonei Catechistæ, Confessarij, Concionatores, & qui reliquis consuetis ministeriis rectè ac fructuose fungantur: utque scholarum frequentia ac magnificentia Professorum, ac Magistrorum respondeat numerus doctrina & industria, tum ipsius Collegij laxitati & splendori accedat illud ornamentum eruditorum ac Religiosorum hominum, qui ex more Societatis lucrificandis Christo atque Ecclesie animabus insistant: atque hoc à Societate liberius requirimus & fidentius nobis pollicemur, quod eius fidem ac gratum animum erga suos benefactores experientia jam nouerimus. Quando autem inter multos operarios, alij viribus, alij morbis, alij laboribus, alij ætate demum franguntur, ut sint qui aut secessis, aut mortuis in perpetuum in vinea Domini succedant, volumus ac instituimus, ut quoniam huic tanto agro colendo aliunde subsidia necessaria & sufficientia sperari nequeunt: ipsum hoc Collegium habeat idoneorum ad ministeria So-

cietatis hominū Seminarium ad sui perpetuitatē sibi sufficiens. Quemadmodū ipsius etiā Societatis decreta cognouimus statuisse, ad perfectā istiusmodi perpetuo duraturi Collegij rationē pertinere, vt seminarium aliquod sui Ordinis personarū studentū, quotq; præter necessarios Collegij officiales & operarios assignatis redditibus comodē tandē ali poterunt, in eodē Collegio instituantur.

Ad hunc igitur effectum, ex causis sæpemenoratis egimus cū Sanctissimo Domino nostro CLEMENTE VIII, vt Monasteriū S. *Sebastiani* in *Ebersperg* (quod alioqui jã à multis annis, justis de causis aut mutandū, aut alicui alteri vel Monasterio vel Ordini incorporandū esse virorum bonorum & prudentum constans iudicium erat) huic *Monachiesi* Collegio, ex quo tanti in *Bauariam* & totam Ecclesiam fructus redundarent, autoritate Apostolica vniret, cui petitioni nostræ Sanctissimus (præsertim quod intelligeret nos loco huius Monasterij alia quædam collapsa restauraturos, aliisq; modis hanc translationem quasi compensaturos) benignè ac liberaliter assensit, edito Breui Apostolico huius incorporationis sub dato Romæ apud S. Petrum XIII. Kal. Iunij, Anni M. D. XCV.

Huius igitur Monasterij S. *Sebastiani* in *Ebersperg* omnia bona, possessiones, & quocunque nomine censeantur, fructus, redditus, emolumenta, cum omnibus Juribus ac pertinentiis, priuilegiis, immunitatibus &c. quemadmodum Sanctissimus Pontifex Societatis Collegio vniuit, atq; incorporauit, ita etiam Nos eiusdē S. mi Domini nostri autoritate, atq; etiā pro parte nostra, tanquam Princeps, in cuius ditione hoc Monasterium situm est, consentimus, & ad tutelam, atq; conseruationē factæ vnionis nosmetipsos atq; Successores nostros vigore præsentium obligamus atq; volumus, decernimus, statuimus, vt hæc vnione Patres Societatis in perpetuum gaudeant, sic vt ex eius bonis ac redditibus perfectam talem *Monachij* secundum instituti sui rationem ad fines supradictos, Collegij rationem pro bono publico huius primariæ vrbs nostræ ac totius *Bauariæ* instituant, eiusq; Collegij personarum numerus, quoniã progressu temporis paulatim minimū vsq; ad septuagesimū, sicut etiam Patres nobiscum vnã optat nosq; futurum speramus, excrescet: ad eos sustentandos, omnibusq; necessitatibus eorum prouidendum, secundū laudabilē sui instituti moderationē Monasterij huius bonis vtantur: quibus tanquã auctarij vice adiicimus prædiū *Warrenberg*, quod à *Theophilo Kumerstat*, p. m. relictum, & Doctori *Adamo Fabro* Medico nostræ ad vitam pro certa pensione (de qua jam inter ipsum & Patres conuenit) concessum, cū omnibus jurib⁹ & pertinentiis assignamus Collegio & denamus in perpetuū, Atq; hæc omnia sic constituimus ac sancimus, nostro & successorū nostrorū nomine, vt ea non solū rata habeant, sed etiā contra omnes alios quocunq; modo ei aduersaturos defendant ac tueantur, atq; Societati *Iesu* fideliter patrocinentur. Quod si forte quippiã de prædicti Monasterij bonis aut juribus, vel etiam priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, vel per negligentiam & indulgentiam veterum Incolarum, aut quocunq; alio non legitimo vel titulo vel contractu, quomodocunq; violatū aut alienatū esset, id aut viui curabim⁹ in integrū restitui, aut si forte viui non possemus, vel post mortē nostram aliqua eiusmodi causa existeret, successores nostros sæpemenoratos omni qua possumus obtestatione monemus ac obligamus, vt Societatis *Iesu* Patribus ad recuperandum omne jus suum fauorem, consilium auxiliumq; pro summa sua potestate præstent; Idq; faciendū est nobis posterisq; nostris tanto liberalius, quod Societas pro tā numerofo Collegio, quàm hoc erit *Monachiesi*, frugaliter alēdo, redditib⁹ huius Monasterij, qui antea vix paucis sufficiebant, cōtenta sit, cū etiā post diligentē rationū vltro citroq; per peritos inspectionē atq; examē deprehensū sit, vltra septena millia florenorū pretiū oīū bonorū ac fructuū hui⁹ monasterij nõ ascendere,

ascendere, aut majoris aestimari certò ac euidenter posse, nisi fidos & industrios admodum colonos (quales vix reperire est) habeant, aut ipsi Patres per se ipsos huic curæ attendant, quod neque fieri semper potest nec debet.

Quin etiam de nostræ Prouinciæ statibus, quibus Patres Societatis siue ratione huius Monasterij, siue aliorum quorumcunque bonorum, quoad omnia priuilegia (atque nominatim cum hoc speciali, vt ab omnibus personalibus oneribus, ne in sua vocatione impediatur liberi sint) anumerantur: speramus ac monemus, vt tam reliqui prouinciæ nostræ status, quam eorundem administri, Societatem quemadmodum hæctenus, ita semper amore & fauore completantur, nec dubitamus quin eosdem sibi Societas omnibus vicissim officiis suo ordini consentaneis, vt hæctenus, sic demeritura.

Porro cum idem Monasterium S. *Sebastiani* in *Ebersperg* & insigni templo, & plurimis, ac nobilissimis Reliquiis Sanctorum, preciosis thecis inclusis, in primis autem Sacro S. *Sebastiani* Martyris cranio, atque propterea etiam frequenti peregrinorum concursu sit celeberrimū: hortamur huius Collegij nostri Patres, vt quod vbique sponte & cum laude faciunt, hic quoque non negligant, sed pro more suo diligenter curent, vt & templi cultus exterior, & diuina secundum institutum Societatis officia ac ministeria sacra, siue per ipsos, cum illic habitabunt Patres, siue per alios idoneos sacerdotes peragantur. Atque adeò optamus ac rogamus, vt celebritas illius loci, Patrum industria, manifesta sumat incrementa; Eodemque nomine Reliquias & Clinodia eius loci, quemadmodū quoque placet ipsis Patribus, nolumus aliò transferri. Ad eandē fundationem nostram omnibus numeris absoluēdam, templum exedificari curauim⁹ amplum, in memoriam D. *Michaëlis* Archangeli. Non solum autem ipsum templum statuis, atque emblematis exornauimus, sed etiā singula facella singulis altaribus, altaria paramentis, sericis & Attalicis sacris vestibus, omniq; ad sacrificia & cultū diuinum supellecili sacra & necessaria, argentea etiā & aurea instruximus, præterea Sanctorum Reliquias præstantissimas magno numero diuersissimis ex sacris locis atque Roma præcipuè petitas & impetratas, magnaque religione, & certis atque indubitatis testimoniis huc aduectas collegimus, & aureis argenteisque thecis in vsum huius templi inclusimus. Atque ita demū ex omni parte hoc templum quæque ad eius cultum spectant instituiimus, vt posteris nostris manifesta documenta daremus, nobis in hac vita nihil magis cordi fuisse, quam decorem Domus Dei, qui cum illustrior fieri Collegium hoc dotauimus, vt eò plures essent ex Societate, qui concionando & exhortando populum, audienda frequentissimi (cui quoduis templum hoc nostro angustius, capienda vix sufficeret) multitudinem confitentium, eademque Sacratissimo Christi corpore pascenda, creberimisq; ac perpetuis sacrificiis Deo (*Bauaria* præcipuè ac familiæ nostræ vt speramus) placeando inuigilare possent. In eodem templo nostro S. *Michaëlis* vna cum charissima & Serenissima Coniuge nostra *Renata* (tanquam non solum vitæ nostræ, sed etiam fundationis huius, & amoris ac beneficentiæ in Societatem consorte benignissima) sepulturam nostram statuimus, & quamuis Societatem pro laudabili suo instituto erga fundatores suos tam viuos quam defunctos gratissimam agnouerimus: tamen quia etiam pro nobis ac coniuge nostra post obitum iuxta fieri volumus, etiam anniuersaria, rogamus ac speramus fore, vt patres, & simul omnes, & pro sua quisque in benefactores & fundatores priuata pietate, votis nostris vt fatis fiat diligenter sint conaturi, & quoad fieri potest, ea etiam superaturi.

Nos verò eidem Collegio huic *Monachiensi* Patrum Societatis *Iesu*, templum

Metrop. Saisb. Tom II.

Mm 2

hoc

hoc nostrum S. *Michaëlis*, cum omnibus fixis ac mobilibus ornamentis, paramentis, tapeibus, sacris ad quęcunq; vsum templi vestibus, aurea & argentea omnibus supellectile, omnibus Reliquiis, earumq; thecis, cimeliis, clinodiis, quomodo-
cunq; fabricatis, in perpetuū assignamus, & tanquā proprium dicamus, & do-
namus, ita vt ea omnia in vsum duntaxat templi conseruare, & ad diuinum cul-
tum adhibere debeant, neq; quisquā alius quocunq; nomine aut titulo, sibi vl-
lum de iis ordinandi aut disponendi, vel Patres in suo modo ac instituto impe-
diendi jus sumat: Atq; hoc tanto confidentius facimus, quod sciamus primò Pa-
tres suis legibus ac constitutionibus prohiberi, ne quicquā ex sacra cuiusque sui
tēpli supellectile alienent. Hortamur, tamen, & omnino cupim⁹, vt quod spon-
te, vi instituti sui, in nostrā quoq; gratiā faciant: neq; quicquā ex hoc thesauro,
quocunq; titulo, quacunq; autoritate aut potestate, etiā successorum nostrorū
Principum *Bauarię*, auferri vel alienari vllō modo permittant. Deinde cum So-
cietas inter cętera bona, quę fecit, hominibus persuaferit, & exemplo suo inci-
tarit, ad sacra templa exornanda, & munditer, atq; etiā vbi res est, decenter atq;
honorificē seruandā, & augendā sacrā supellectilem: multo meliore nobis iure
hoc de Patribus promittimus, in conseruanda & reparanda & ornanda sacra su-
pellectile & thesauro omni huius templi tam pretioso, præsertim cum in Socie-
tate vsitata sint tā frequentes visitationes superiorum: in quibus diligentissimē
ratio habetur eorum, quę ad templum & res sacras pertinent. Quoniā vero ad
huius tam Magnifici templi: atq; cultus & cantus, tum etiā ad facta tēta ipso-
rum ædificiorum sacrorum: & præsertim ad conseruationem, reparationē, &
pro dignitate exornationē sacrarum vestium & supellectilis sacre, præter indu-
striam ac magnum laborē eorum qui Sacristiæ præsunt & seruiunt. (quos ido-
neos semper ex suo numero constituet Societas) magni etiā sumptus requirun-
tur: vt magnificentię ædificij & sacri apparatus, cętera respondeant, ad ipsius⁹
templi foundationē, sartorum tectorum, Musicę, cultus diuini & sacrę supelle-
ctilis in primis conseruationem: assignamus quoq; Patribus & donamus annuos
reditus primū duorum millium sexcentorum septuaginta quinq; florenorū
quos recipiant quotiānis à Camera nostra prouinciali, ex censu legitimo Deci-
mationum, quę ad eundem finem Collegiorum & Seminariorum Societatis e-
rigendorum Maioribus nostris à sancta sede Apostolica benignē concessę sunt.
Deinde ad eundem templi vsum destinamus, ex hereditate *Theopili Kummerstat*
p. m. bona & decimas in *Ailing & Edenhausen* prope oppidum nostrum *Aichen*, ex
quibus (indubitatē tria millia florenorum confici possunt) ita vt teneatur Socie-
tas, vel horum bonorum fruct⁹ ipsos cum censu illo, templo ac factis tēctis ap-
plicare, vel ex iisdem fructibus ac censu eodem, pecuniā conficere annuam trium
millium florenorum: Quam sumā volumus esse plenā atq; perfectā huius
templi nostri foundationem, sicut tamen, vt ex eadem facta tēcta non solum tem-
pli, sed Collegij quoq; ac Scholarum, conseruentur, ex eademq; expensę illę
Scholasticę soluantur, quas Societas suo more laudabili ad iuuentutem exci-
tandam adhibere solet; Quod si quod aliquando superesse videatur, id ad futu-
ros casus maiorum sumptuum referuetur.

Atq; vt tandem has foundationis nostre literas concludamus, primum Patres
Societatis hortamur & rogamus, vt quod alioqui sponte & paratissimi præstant,
hanc foundationem nostram ac voluntatem superius fusē explicatam, eadem-
fide & diligentia qua hætenus⁹, in perpetuum, quoad omnia, exequantur.,
potissimum, autem (qui finis totius⁹ huius nostrę foundationis⁹ est) in Catho-
lica religione, hac in Ciuitate ac tota *Bauaria* amplificanda, docendis⁹
paruulis⁹ ac rudibus⁹, conuertendis⁹ hæreticis⁹, confirmandis dubijs⁹, pecca-
toribus

toribus ad poenitentiam permouendis, cæterisque instituti sui officiis vbicun- que & quibuscunque occasionibus, verbo atque exemplo exercendis, præfer- tim autem (quod facere eos non ambigimus) pro nostra & nostrorum successo- rum fœlici gubernatione, totiusque familiæ *Bauarica* prosperitate, Deum votis, meritis, sacrificiisque assiduè deprecando, atque etiam toti Prouinciæ nostræ placatum reddendo. Quæ quidem omnia tantò ardentius Patres Societatis fa- cturos speramus, quantò nostram in se maiorem agnoscunt beneuolentiam, qua non solum commodis ac bonis externis, sed etiam quieti, ac peculiari eius instituti rationi atque libertati consultum vnice cupimus & conati semper su- mus: Ad quam etiam pertinere arbitramur, vt si qui fortè reperti fuerint, qui à Societate sponte absque superiorum legitima facultate discesserint, nullis in- locis Prouinciæ nostræ tolerentur, sed potius si id à nobis, successoribus ac hæ- redibus aut ordinariis iudicibus nostris Societas petiuerit, seuera animaduer- sione puniantur, ne impunitatis exempla Societati aliquod detrimentum affe- rant. Deinde quod ad hanc totam fundationem attinet, id quod vitandi fasti- dij & prolixitatis, repetere in singulis capitibus non libuit, hîc vniuersim et- iam de singulis, quæ in his literis comprehenduntur, autoritate nostra & fide- summa, tanquam in conspectu Dei, protestamur, nos omnia & singula hu- ius fundationis capita ad Dei gloriam, Ecclesiæ augmentum, nostram con- solationem, & totius Prouinciæ vtilitatem sic constituissè, & quidem matu- ro, non nostro solum, sed aliorum etiam prudentum, & Patriæ ac Catholicæ religionis amantium consilio, & certa ac diuturna deliberatione: Qua con- scientia & mente freti, liberius & fidentius hanc omnem nostram fundatio- nem, donationem, & quicquid demum his literis expressum est, fecimus ac stabiliuimus, non solum nostro, sed etiam omnium posterorum ac successo- rum nomine, quos eosdem liberos atque successores nostros, atque etiam omnes eos, cuiuscunque status, ad quos huius nostræ fundationis quocunque modo pertinebit executio, per amorem, exempla, ac merita maiorum nostro- rum, per honorem ac gloriam totius familiæ ac domus *Bauarica*, per charita- tem dulcissimæ Patriæ ac Prouinciæ nostræ, per quicquid cuique potest esse charissimum, per misericordiam omnipotentis Dei, per illud extremum ac ter- ribile iudicium, aut si quæ alia potest esse maior & efficacior obtestatio, hortamur, monemus, obsecramus, obtestamur, adiuramus, vt hanc nostram funda- tionem, institutionem, donationem, assignationem, applicationem, concess- ionem, exemptionem, quæque in his literis continentur vniuersa & singula, minima atque maxima, inuiolata manere, per se suosque ea fide & conscientia curent, tanquam de qua coram æterni iudicis tribunali, nobis seuerè poscenti- bus sint rationem reddituri.

Præterea obligatos volumus eosdem posteros nostros, vt Patribus ad jus- suum retinendum requisiti, omni ope atque auxilio assistant, quo absq; cuius- quam, quacunque dignitate fulgeat, interpellatione aut impedimento liberè secundum suum institutum primum omnibus sui ordinis priuilegiis, tum iis quæ vi vnionis Pontificiæ, Iuris Canonici & Ciuilibus, præsertim autem *Bauarici*, ad Societatem pertinent: Deinde omnibus, quæ Maiorum nostrorum largitas illis attribuit, siue bonis siue Priuilegiis, præterea cunctis, quæ in hac fundatio- ne aut aliis peculiaribus literis nostris posita, atque Societati largissimè concessa, attributa, dicata, donata sunt, bonis, donis, sacris, non sacris, priuilegiis, ex- emptionibus, immunitatibus, demum etiam omnibus quæ in posterum quoq; aut nostra, aut cæterorum domus nostræ Principum largitate & beneficentia, aut quorumcunq; aliorum liberalitate, Collegio huic Societatis dicari aut donari

continget, liberè ac quietè ad propagandum Dei cultum vti ac frui possint, idq; in omni casu, ita vti cuncta, & singula juxta institutum Patrum Societatis intelligantur atq; accipiantur, neq; vel Advocatia, vel cuiuscunque alterius prætensi Juris respectu, vel contemplatione, hæc fundatio nostra infringatur, vel etiam institutum venerandæ Societatis vlllo pacto minuatur, neq; posteros nostros ac hæredes, neq; ceteros quoscunq; si quid aduersus hanc nostram Fundationem & efficacissimam voluntatem vlllo modo molirentur, nec occulta, nec aperta, (quam Deus auertat) violentia excusare possint, nulla etiã prætensa Iura, vel Canonica, vel Ciuilia, Pontificia decreta, dispensationes, indulta, absolutiones, Regalia, Priuilegia, Iurisdictiones, superioritates, immunitates, inhibitiones, exceptiones, Iura publica, siue prouincialia, indemnitates, consuetudines, relaxationes, institutiones, interpretationes, aut quæcunq; tandem humanum ingenium contrà has nostras literas ac Fundationem excogitare potest.

Immò etiam volumus, mandamus, atq; obligamus posteros nostros, vt in omnes eos, qui hanc nostram constitutionem, sanctionem, ac Fundationem, quocunq; modo impugnare, immutare aut corrumpere conati fuerint, seuerissimè animaduertant, & puniant eos omnes, qui Patribus & Collegio huic nostro molestiam exhibere tentauerint: Ipsam autem Societatem Iesu, liberis ac hæredibus & posteris nostris, commendamus affectu planè paterno, hoc est, eo què dignitas & vtilitas instituti huius meretur, & merebitur (vti de Dei benignitate & Societatis disciplina confidimus) à tota posteritate domus atque Prouinciæ Bauariæ.

Et quanquam hæc Societas pro sua modestia, in bonis externis atque corporis, mediocritatis tenax & amantissima est, & solius animarum lucri insatrabilis; tamen optamus, volumus, rogamus, & mandamus iisdem successoribus nostris, vt in defendenda, amanda, fouenda, ornanda Societate, quid *Bauaricam* stirpem ac pietatem deceat, considerent; atque vt nos nobis Serenissimorum, Parentum nostrorum hac in re voluntatem atque exemplum, sic illi sibi hanc nostram fundationem proponant, quam aut imitentur, aut pia æmulatione superare contendant, aut certè, quod sine crimine omitti non potest, in suo vigore, robore ac dignitate æternum conseruent; Ita nos cum Serenissima Coniuge, cæterisque Serenissimis *Bauariæ*, Principibus, atque etiam charissimos liberos nostros, omnemq; nostram & eorum posteritatem, Prouinciãq; & Patriam nostram Deus sospitet, atque in Catholica fide & pietate felices perpetuo faciat & seruet, Sanctusq; *Michael*, cuius memoriæ Templum Collegiumq; nostrum sacrauimus, ab hac vita aliquando exeuntes, in pace suscipiat. Amen. Atque in horum omnium & singulorum, quæ his literis nostris fundauimus, certam & indubitam fidem, iisdem nostra manu subscripsimus, ac nostro Ducali sigillo easdem communiuimus; Actum Monachij die vigesimo sexto Iunij, Anno salutis Millesimo, quingentesimo, nonagesimo septimo.

Guilhelmus.

Maximilianus.

DE DOMO NOVITIORVM SOCIETATIS
IESV EXTRVCTA LANDSPERGÆ.

CVM Illustris Dominus Comes Schwvickardus de Helfenstain Præfectum, Landspergæ ageret, ab Illustrissimo Duce Alberto impetrauit locum, montem